UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Collegium Universi Juris Canonici

Engel, Ludwig

Salisburgi, 1693

Privilegium I. Pro construendo vel ampliando Monasterio potest aliquis cogi ad vendendam domum vel fundum suum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-61596

Visual Library

PRIVILEGIUM I.

Pro conſtruendo vel ampliando Monaſterio poteſt aliquis cogi ad vendendam domum vel fundum ſuum.

1. *Extenditur Privilegium etiam ad venditionem ſervitutis, & partis in re communi.*
2. *Reſtringitur, ut non procedat cum magno damno alteriut.*
3. *Quis ſit executor hujus Privilegij.*

VT ordiamur à fundamentis, præmittimus hoc inſigne Monaſteriorum Privilegium, quod cum Baldo & Ang. in *L.* 1. *ff. ſol matr.* Felin *in c. omnes. diſt.* 1. tradunt communiter DD. & fundatur in *L. ſi quis ſepulchrum ff. de Relig. & ſump. fun.* ubi licet diſponatur de ſepulchro & via, eadem tamen ratio & favor religionis, qui pro ſepulchris facit, etiam circa monaſteria & quidem urgentiùs ſtringit.

1 Ampliatur hoc aſſertum, ut Vicinus poſſit cogi ad vendendam monaſterio ſervitutem *altiùs non tollendi*, ſaltem quatenus indiget monaſterium: quia eadem iterum eſt ratio, quæ de via ad ſepulchrum in *d. l. Si quis ſepulchrum* Riccius *p.* 1. *deciſ.* 138. Item ut ſocio mandante conſtrui Eccleſiam in domo vel fundo communi teneatur alter ſocius vendere partem ſuam; ſicut ſi ſervo communi legata eſt libertas ab uno ſocio, tenetur alter partem vendere, *l.* 1. *C. de Com. ſerv. manum. junct. §. fin. 3. de Donat.* Baldus *ibidem*. Laur. de Franch. *de controver. inter Ep. & Regul. p. 2. n. 446.*

2 Verùm ad æquitatis moderamen reſtringendum eſt hoc privilegium, ut non procedat ſi quis ex venditione domus nimis magnum detrimentum, quod commodam æſtimationem prudentis viri non reciperet, pateretur, v. g. ſi inſignia Palatia nobilis familiæ demoliti deberent, vel aliunde antiquitas aut excellentia ædificij ſingularem ſplendorem Civitati conferret, &c. Deſumitur hæc limitatio *ex ſæpe d. L. ſiquis ſepulchrum.* ibi: *Iudex de opportunitate loci proſpiciat, ne vicinus magnum patiatur detrimentum.*

3 Sed quis erit judex competens ad exequendum hoc Privilegium? Reſpondeo non tantùm eſſe Magiſtratum ſæcularem loci, ſed etiam ipſum Epiſcopum, qui mediantibus Cenſuris poteſt & debet privilegia Eccleſiarum defendere. Franch. *d. l. n. 440. & 442. in rubricis.*

ADNOTATIO.

HOc Privilegium multis durum viſum eſt, eò quòd *in L. ſi quis ſepulchrum. de Relig. & ſumpt. fun.* tantùm agatur *de via* vendenda *ad ſepulchrum*, quæ minoris eſt præjudicij quàm domus; & privilegium alteri præjudicans non ſit extendendum &c. Rx. & repeto, quòd etiam ſupra *n.* 2 monui, ante omnia incumbere officio Judicis de tali loco providere, ne Civibus damnum inferatur. Si autem Monaſterium ſperetur utile futurum Civitati (ſed non utique ſemper expedit, nova Monaſteria ædificare, & novos Religioſos aſſumere) ad augendum Divinum cultum & pietatem hominum, aut ſtudia litteraria, non video, quare utilitas publica non ſit præferenda privatæ: tamen idem fieret, ſi contra hoſtem carnalem civitas munienda, & domus alicujus pro munitione neceſſaria foret, quare non ſimiliter, ſi civitas muniatur Divino cultu contra hoſtes ſpirituales.

Ad contraria dico: licet ſit minus præjudicium in *via*, tamen major utilitas eſt in *Monaſterio*, & ſaltem hoc habetur ex illa *L. ſiquis*, quòd favor Religionis faciat exceptionem à regula, *leg. invitum C. de contrah. empt. & L. nec emere C. de Iure. delib*

Ad alterum reſpondi *priv.* XXXVI. *n.* 2. Poteſt hic addi inſtantia de extenſione in favorabilibus cauſis, quòd ſucceſſio Legitimatorum *per ſubſequens matrimonium* ex unanimi DD. ſententia extendatur ad feuda, majoratus, &c. licet matrimonium in articulo mortis contra-

ctum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ctum ſit, quidquid ex hac ſententia alijs heredibus præjudicetur, neque apertis juris textibus aliquid deciſum ſit.

PRILEGIUM. II.

Monaſteria ſunt exempta à Jurisdictione & exactione ſæcularium Dominorum.

1. *Non poteſt defendi conſuetudo contra immunitatem Eccleſiaſticam.*
2. *Quando verum ſit, legem non acceptam non ligare.*
3. *Qualiter applicentur reditus Monaſteriorum.*
4. *Benedictio Moyſis ſupra Eccleſiaſticos.*
5. *Argumenta, quibus probatur immunitas Eccleſiaſtica eſſe Iuris divini.*
6. *Reſpondetur ad contraria.*
7. *Qualiter exactio facienda ab Eccleſiaſticis in publica neceſſitate.*
8. *Quando Eccleſiaſtici ſubjacent exactionibus Principium ſacularium.*

MAximum hoc Privilegium omnibus Eccleſiaſticis & Eccleſijs competens annis ſingulis in die *Cœnæ Domini* renovat, & cum fulminatione excommunicationis contra inobedientes promulgat S. Pontifex. Multis non ſapit hoc *Cœnæ* ferculum, ſunt *de invitatis excuſantibus.* Sed an propterea excuſati? Conſuetudo eſt in contrarium, inquiunt, lex non recep-
1 ta non ligat. * Sed conſiderent hoc exemptionis privilegium eſſe *Iure divino* ſtatutum, ut apertè declararunt Pontifex & Concilium Trid. *S. 25. de refor. c. 20. c. nimis de Iurejur. c. quanquam, de Conſ. in 6.* Contra jus divinum autem conſuetudo quæ tantùm ab hominibus introducitur, operari nihil poteſt, nec valet quæ in detrimentum Eccleſiarum tendit, *cap. 1. de con-*
2 *ſuet.* * Deinde fatemur pro regula circumferri, legem non receptam non ligare: ſed id verum, ſi vel lex dèbitè promulgata, vel diſſimulante legiſlatore in uſum deducta non ſit. At verò ſi legiſlator inſtet & urgeat, legem ſuam recipi præ etrim, quæ ex *Iure divino* obligat, ſanè non capimus, quomodo in poteſtate ſubditorum obedientiam debentium ſit, legem recipere
3 vel rejicere. * Sed abutuntur divitijs ajunt; Vah! *[illegible]us amaritudinis*? Quare non dicunt, replent conventus numeroſâ fratrum coronâ, ubi non longis abhinc annis [illegible] defectus erat, augent chorum & divinas laudes, accumulant preces pro ſalute Reipub. [illegible]tur magnis ſumptibus Religioſi ad ſtudia, [illegible]duntur apti ad curam animarum, ad defenſionem fidei & Eccleſiæ, ad inſtruendam bonis artibus juventutem, quam in multis cœnobijs, proprijs conſequenter non modicis alunt expenſis, in peregrinos & pauperes largam hoſpitalitatem exercent. Anne bona conſequentia, nonnulli ſæculares abutuntur divitijs ad luxum, ditant exteras nationes cum eviſceratione Patriæ fructum referentes modicum aut nullum (ubi fœlicibus illis ſæculis in Eccleſias, in Hoſpitalia, in pauperes liberali pietate uſi fuerunt) ergo ne ſuis bonis ſpoliandi? Si Beneficiatus vel Prælatus Eccleſiæ malè in rebus Eccleſiaſticis verſatur à Patrono commonendus eſt, & dein perſeverentiâ apud legitimum ejus Superiorem pro correctione inſiſtendum, non ſpoliandus, *c. filijs 6. q. 7.* * Sane ad Eccleſiaſticos utpote Levitas novi Teſtamenti pertinet illa Benedictio aut Prophetia, quam *Deut. 33.* Moyſes moriens pronuntiavit ſuper Levi: *Ponent thymiama in furore tuo, & holocauſta ſuper altare tuum: Benedic Domine fortitudini ejus, & opera manuum illius ſuſcipe, percute dorſa inimicorum ejus, & qui oderunt eum, non conſurgant.* Porrò ut id, quod ſuperius obiter attigimus, videlicet hanc exemptionem Eccleſiaſticam eſſe *Iuris divini* paulò deductius remonſtremus, videamus quibus rationibus id ſolidetur.

Igitur in primis nemini dubium eſt Levitas in veteri Teſtamento & res eorum jure divino exemptas & ab omnibus oneribus immunes fuiſſe, *ut conſtat c. 3. & 18. Num. ex cap. [illegible] Exod. Verſ. 12. junct. cap. 1. verſ. 47.* hoc [illegible]tem ſtatutum non tantum fuiſſe *cæremoniale* ſed etiam ex parte *morale*, conſequenter etiam obligans *in novo Teſtamento*, inde [illegible] poteſt, quod naturali rationi conveniat, quod Eccleſiaſtici novi Teſtamenti, qui in locum Levitarum ſucceſſerunt, & Deo ſpecialiter dicati, *& in ſortem ejus vocati ſunt*, à ſæculi mundana poteſtate eximantur; prout infra dicimus præceptum de *ſanctificando Sabbato* partim *cæremoniale*, partim *morale* fuiſſe: in quantum ſcilicet naturalis ratio exigebat quo-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN